



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE IURE CELEBRATURE ECCLESIA PROCATHEDRALIS, ASSUMPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS DICATA, IN URBE BIAŁISTOCK SITA, AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Iure celebratur procathedralis Ecclesia, B. Mariae Vergini in caelum Assumptae dicata, in urbe Bialistock sita, anno MCMVI sumptibus paroecianorum condita et in numero principalium monumentorum architecturae ecclesiasticae habita; eo magis quod eidem coniuncta est, uti aedes interna, pristina ecclesia, ubi veteris historiae multae continentur memoriae. Huius Ecclesiae momentum maius factum est ab anno MCMXXXV, ex quo Ordinarius loci ibi resedit, indeque sedes evasit multorum caritatis operum et pastoralis actionis, quibus catholicorum vita religiosa alitur et confirmatur. Eam ob rem, Venerabilis Frater Eduardus Kisiel, Episcopus titularis Limatensis et Administrator Apostolicus «ad nutum Sanctae Sedis» illius partis archidioecesis Vilnensis intra fines Poloniae inclusae, preces et vota cleri et christifidelium vota exprimens, postulavit ut Ecclesiam illam titulo et dignitate Basilicae Minoris exornaremus. Nos igitur, cupientes ut, eiusmodi honore tributo, populus catholicus ad lucra Christi vehementius excitaretur et universe studium pietatis augeretur, eius preces libenter exaudire statuimus. Itaque, iis probatis, quae Congregatio pro Cultu Divino hac de re censuit, Ecclesiam Beatae Mariae Virgini in caelum Assumptae dicatam, in urbe Bialistock positam, in Basilicis Minoribus adnumeramus, factis iuribus et privilegias talium Ecclesiarum propriis: dummodo servantur ea, quae per Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum, observari iubentur. Contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Martii, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana

---